Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0001-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0002-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0003-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0004-1

1653.

1. Gerhardus, Johannes Ernestus: De consiliario

2. Richter, Christophorus Philippus: De haeredum prima et secunda institutione et substitutione.

3. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De foro competente.

4. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De pasta pecoris.

5. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De essentia possessionis

6. Strauchius, Johannes: De alienatione.

7. Strauchius, Johannes: De statu ecclesiastico superioris seculi....

8. Strauchius, Johannes: De veritate invicem rei praestanda.

9. Strauchius, Johannes: De induciis...

10 Struve, Georg Adam: De novatione.

11. Struve, Georg Adam: De excussionis exceptione.

12. Struve, Georg Adam: De appellationibus.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0005-7

1653.

135, 6, c Struve, Georg Adamus: De annona. 3 Dissp.

1654 – 1720.

1654.

1. Bechmann, Johann Volk: De studiosorum privilegiis. 9

2. Gerhardus, Johann Ernestus: De ostracismo Atheniensium atque similibus remediis, quibus nimia et suspecta civium potentia infringi potest. 10

3. Richter, Christophorus Philippus: De contractibus innominatis. 12

4. Rolfinckius, Guernerus: Dissertatio de ~~cord~~ corde ex veterum et recentiorum, propriisque observationibus concinnata et ad circulationem accommodata. 9

5 Schroeterus, Ernestus Fridericus: De collatione 1

6. Schroeterus, Ernestus Fridericus: De nobilitate

7. Schroeter, Ernestus Fridericus: De sacrilegio.

1657.

8. Slevogtus, Paulus: De principio syllogizandi in divinis.

9. Stranchius, Johannes: De jure soli in superficiem.

10 Stranchius, Johannes: De imperio maris.

11. Stranchius, Johannes: De constitutionibus principum, rescriptis et decretis

12. Stranchius, Johannes: De reconventione

13. Struve, Georg Adams: De errore.

14. Struvius, Georg Adams: De certitude judicii in praemis irrugandis observanda.

15 Struve, Georg Adams: De testamentis

16. Struve, Georgius Adams: De simultanea investitura.

1
13
16
1.
2.
3.
4.
5
6.
7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0008-4

1654, 8
23

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

PRINCIPIO SYLLOGIZANDI IN DIVINIS,

Quam

SUB PRÆSIDIO

PAULI SLEVOGTI

SS. Lingg. Professoris publici

Ordinarii

Publicè examinandam & ventilandam proponit

JOHANNES STERN/ Salfeldensis.

In Auditorio Majori

ad diem Januarii.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII.

M DC LIV.

n. 6.
7 5.
6

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0010-5

Σὺν τῷ θεῷ πανσόφῳ.

De PRINCIPIO SYLLOGIZANDI IN DIVINIS.

I.

MYsteria fidei nostræ supra captum naturalis intelligentiæ esse, sicuti omnes fatentur: ita nemo est, qui quidem sapiat & cerebrum non gerat in calcaneo, qui ea ullâ ex parte rationi naturali putet adversari. Tantummodò principium illud Metaphysicum, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, cui nostrâ opinione omnis vis syllogistica innititur & ipsum etiam *dici de omni* subordinatur, nonnullorum animos tenet suspensos. Quum enim vident, in divinitate relationes vel personas identificari uni tertio, nempe essentiæ, non tamen identificari inter se, sunt enim realiter invicem distinctæ; partim eò deveniunt, ut negent, illud esse fundamentum artis syllogisticæ, quod vis ejus in divinis expiret: partim agnoscunt quidem istud pro primo fundamento, cui omnis vis cujuslibet syllogismi, qui quidem firmam consequentiam habet, innitatur; sed varias vias ineunt ad universalitatem ejus ostendendam, &, quomodo ex identitate extremorum cum unô mediô semper sequatur identitas eorum inter se, diversissimis modis explicant. De utrisq; paucis agemus.

II. Quod igitur eos attinet, qui principium istud Metaphysicum negant esse principium syllogizandi, eorum antesignani sunt *Cajetanus in 1. Summ. q. 28. art. 3. & Gabr. Vatzquetz p. 1. Summ. disp. 122. c. 2.* qui *num. 7.* sic scribit: *fundamentum Syllogismorum non esse illam propositionem: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, facilè probatur: quoniam vel intelligitur de identitate reali, & sic locum non haberet in divinis, atqui forma syllogistica ubiq; vim habet: aut intelligitur de identitate re & ratione, ut, quæ sunt eadem uni tertio re & ratione, sint eadem inter se, re & ratione, & sic forma syllogistica tantùm fieri posset in synonymis, quæ re & ratione sunt idem cum aliquô tertiô. quare hic syllogismus non esset bonus: rationale est risibile, homo est rationalis, ergo homo est risibilis; quia duæ extremitates non sunt re & ratione idem cum homine, sed ratione differunt; quinimò risibile plùs, quàm ratione differt ab homine, si risibilitas reipsâ differt ab homine, ut facultas & potentia ejus. Multæ quoque conclusiones inferri possunt legitimâ formâ syllogisticâ, in quibus prædicatum à subjectô realiter differt, de illô tamen rectè prædicatur in concretô.*

III. Sed difficilior est *Vatzquesii* opinio, quàm ipse putat, & multò improbabilior, quàm ut possit tam imbecilli argumento persuaderi, quemadmodum mox ipsi ad oculum sumus ostensuri. Unde etiam nemo ferme est, cujus applausum meruerit. plerique omnes eum deserunt & adversam partem amplectuntur, cum primis *Hurtadus de Mendoza Disput. Log. 10. sect. 16. num. 88. & Rod. de Arriagâ Disp. 3. in summul. sect. 3. num. 17.* qui enixè contendunt, omnem formam syllogisticam principio illi Metaphysico inniti, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & in ipsô quoque fundari ajunt prin-

principium illud Logicum, dici de omni & dici de nullô, & rectè. Nam ipse *Philosophus* satis perspicuè hoc docet, quando *l.1.prior.Analyt.c.1.* scribit: Τὸ ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ καὶ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι θάτερον θατέρου ταὐτόν ἐστι: *in totô quopiam quippiam esse & de totô quopiam quippiam prædicari idem est.*

IV. Ubi observandum 1. quòd, quum *Aristoteles* idem esse ait, *unum alteri inesse*, & *unum de alterô prædicari*, non hoc velit, quòd absolutè idem sit esse, quod prædicari, quæ utique secundùm se considerata diversissima esse, nemo negat: sed quòd perinde sit, sive essendi, sive prædicandi vel dicendi verbô principium illud syllogismorum regulativum efferamus. 2. Quòd prius sit, rem alicui inesse, vel cum eô realiter esse idem, quàm eam de ipsô prædicari, & quòd modum essendi sequatur modus prædicandi, ab eô enim, quod res est, vel non est, prædicatio dicitur vera vel falsa: & quæ rem enunciat, uti est, vera est, quæ non enunciat, uti est, falsa. 3. Quod ratio, quur aliquid de aliquô prædicetur, non sit alia, quàm quod ei insit & cum eô, quocunque etiam modô, identificetur. Si enim quis quærat, quur animal de homine, album de pariete prædicetur, alia ratio reddi nequit, quàm quod animal homini insit & album cum pariete sit realiter idem. ex quô patet dependentia principii Logici à principiô Metaphysico. Nam, quia v.g. Petrus est idem cum homine, cum quô etiam animal idem est, ideò propter identitatem illam, quam Petrus & animal habent cum homine, Petrus & animal etiam inter se sunt idem & consequenter, sicut propter identitatem illam, quam Petrus & animal cum homine habent, animal de homine, & homo de Petro prædicatur: ita

propter identitatem, quam Petrus & animal habent inter se, animal etiam de Petrô prædicatur. Quod argumento est, principium illud Metaphysicum esse fundamentum Logici & hoc ab illo dependere, tanquam à ratione sui.

V. Vis argumenti manifesta est, si ea expendamus, quæ ad bonitatem syllogismi requiruntur. omnis certè syllogismus, in quacunque etiam materiâ fiat, ut bonus sit & vitiô careat, juxta dictum de omni, inter alia hoc præcipuè requirit, ut constet mediô terminô, cui tanquam tertio præmissarum extremitates ita uniantur, ut cum eô à parte rei sint idem, quod nisi fiat, sicut major extremitas de mediô, & medium de Minori non potest prædicari: ita multò minus major extremitas de minori extremitate prædicari poterit. at verô si ejusmodi mediô constet syllogismus, cum quô identificatæ sint præmissarum extremitates, rectè in conclusione infertur, quod etiam extremitates illæ sint identificatæ inter se, ergo etiam secundum dictum de omni ex identitate duorum cum uno tertio infertur identitas duorum inter se, declaramus superiori exemplô: ut concedamus, Petrum esse animal, nihil est, quod nos cogat, nisi ostendatur identitas utriusque cum aliquô tertiô. Simul autem atque dicitur, omnis homo est animal, identitas animalis quidem cum homine jam patescit: at hæc non sufficit, ut quicquam de Petro concludi queat, nisi insuper etiam addatur, Petrus est homo, ut identitas quoque Petri cum eodem homine fiat manifesta. hac cognitâ demum inferri potest, quod Petrus sit animal. ubi quilibet videt, quod identitas Petri cum animali dependeat ab identitate utriusque cum homine, & quod in con-

clu-

cluſione identitas illa extremitatum inter ſe deducatur ex identitate earundem cum unô tertiô, quod eſt ipſum medium in præmiſſis. relinquitur ergo, quod principium illud Metaphyſicum ſit primum fundamentum omnis ſyllogiſmi, & quod ex eô dependeat quoque principium illud Logicum, quod eſt, *dici de omni.*

VI. Atque hoc tandem ipſemet etiam *Vatzquetz* diffiteri nequit, quantumvis ſeſe in omnem partem vertat. Nam 1. non poteſt explicare dictum de omni, & quomodo juxta illud forma argumentandi in omni materiâ, etiam in divinis, locum habeat & certiſſima ſit, niſi ad principium Metaphyſicum recurrat & ex eô rem derivet. Quum enim *num. 6.* ſcribit: *forma ſyllogiſtica, quæ in concluſione infert majorem extremitatem de minori, quia Minor dicitur de mediô, de quô etiam prædicatur major, certiſſima eſt, & adeò efficax, ut in nullâ materiâ deficere poſſit;* rationem ex principio Metaphyſico affert; nam majorem extremitatem in concluſione dici de minori, propterea, quod in præmisſis minor dicatur de mediô, de quô prædicetur major, quid aliud eſt, quàm majorem & minorem extremitatem in concluſione eſſe idem inter ſe, quod in præmisſis ſint idem uni medio vel tertio? Hoc ipsô igitur, quô principium iſtud Metaphyſicum impugnat, ipſum ſtabilit, & quô oſtendere nititur, quod in divinis non habeat locum, oſtendit id univerſale eſſe & in omni materiâ certiſſimum, etiam in divinis.

VII. 2. Nihilominus, ait *num. 8.* hoc principium eſt veriſſimum, atque eſſe poteſt fundamentum ſyllogiſmorum, in hoc ſenſu: *quæ ſunt eadem uni tertio prædicatione, ſunt eadem inter ſe, etiam prædicatione, hoc eſt, quæ dicuntur de aliquô tertiô, invicem de ſeipſis prædicantur, ut*

vide.

videmus in ſyllogiſmô expoſitoriô. Sed principium illud hoc modô intellectum, reducitur, aut potiùs idem eſt cum illô, dici de omni & dici de nullô. Benè, ſi principium iſtud univerſale eſt & in omni materiâ valet, intellectum de identitate quoad prædicationem, ergo etiam univerſale eſt & in omni materiâ valet, intellectum de identitate quoad rem. Propterea enim aliqua ſunt eadem uni tertio quoad prædicationem, quia eadem ipſi ſunt quoad rem, & propterea inter ſe ſunt idem quoad prædicationem, quia inter ſe quoad rem idem ſunt. Adhuc itaque verum manet, quod Logicum iſtud principium, dici de omni, ex Metaphyſicô dependeat, & ideò in omni materiâ locum habeat, quia hoc in omni locum habet.

VIII. Unde nequit deeſſe nobis, quod ad argumentum *Vatzquetzii* reſpondeamus. Nam falſum eſt, quod ſi principium noſtrum de identitate reali intelligatur, conſequentia illi innixa nullam habeat vim in Myſterio Trinitatis. fingit hoc, non probat. Si enim ſic argumentetur: quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt idem inter ſe: duo extrema in divinis, v.g. paternitas & filiatio, ſunt eadem uni tertio, nempe eſſentiæ, ergo duo extrema in divinis, v.g. paternitas & filiatio, ſunt idem inter ſe; non eſt, quur neget *Majorem*, quæ intellecta de identitate duorum cum unô tertiô, absque diſtinctione virtuali, ubique fundat vim ſyllogiſticam etiam in divinis. Semper enim & ubique non minus in divinis, atq; in finitis rebus valet, perinde atque dictum de omni, ſi cum addito intelligatur: *quæ ſunt eadem uni tertio realiter & virtualiter, ſunt eadem inter ſe.*

IX. Malè igitur *Vatzquetz* falſitatem concluſionis imputat *Majori*, quum *Minor* peccet. licet enim paterni-

ternitas & filiatio realiter idem ſint cum eſſentiâ, ab eadem tamen virtualiter etiam diſtinguuntur, & ibi cum identitate reali pariter etiam ſtat virtualis diſtinctio, quæ facit, ut eadem entitas Dei indiviſibilis & ſimpliciſſima contradictoriorum prædicatorum capax ſit, & ſecundùm conceptum naturæ ſit communicabilis, ſed ſecundûm conceptum relationis non ſit communicabilis, identificetur cum alterâ perſonâ in eſſentiâ, non identificetur in relatione. Propter hanc itaque diſtinctionem virtualem, quæ inter eſſentiam & relationes eſt, fit, ut, licet relationes idem ſint realiter cum eſſentiâ, non tamen realiter idem ſint inter ſe. Dicimus ergo, quòd principium hoc non ſolùm de identitate quoad rem intelligi poſſit, ſed etiam de identitate quoad rem & rationem, ſed cum ejusmodi diſcrimine: quæ eadem ſunt alicui tertio quoad rem, etiam inter ſe idem ſunt quoad rem: quæ quoad rem & rationem, ſimiliter. Unde forma ſyllogiſtica, quæ huic principio innititur, non ſolùm in ſynonymis vim habet, quæ re & ratione idem ſunt, ſed in omni materiâ, dummodo identitas realis adſit cum unô tertiô.

X. Et licet in hoc ſyllogiſmô: rationale eſt rifibile, homo eſt rationalis, ergo homo eſt riſibilis; duæ extremitates non ſint re & ratione idem cum homine, ſed ratione differant; propterea tamen ſyllogiſmi bonitati nihil decedit. Si enim non ſunt idem re & ratione ſimul; ſufficit, quòd ſint idem re. nihil itaque ad rem facit, quòd riſibilitas reipsâ differat ab homine. Quantumvis enim aliud ſit à parte rei homo, aliud riſibilitas, & ita nulla uſpiam identitas appareat inter ea, quantum ad formalitates, maximè ſi diſtinguantur à parte rei; tamen

unum de alterô verè affirmari poteſt propter identitatem ſuppoſiti. Quandoquidem enim & homo & riſibile in rectô dicunt ſuppoſitum, in obliquô connotant formas; veriſsimè dicitur, homo eſt riſibilis. Nullum enim alium ſenſum facit, quàm quôd ſuppoſitum, quod eſt homo, idem etiam ſit riſibile. Ubi penitus apparet, quòd homo & riſibile, ratione ejus, quod in rectô dicunt, ſint realisſimè idem, utut interea differant ratione formalitatum, quas in obliquô connotant, quod in præſens ad veritatem propoſitionis nihil facit. quæ vera eſt, ſi idem ſit rectum ſubjecti & prædicati, ſive ea, quæ in obliquô connotantur, ſint eadem, ſive diverſa, ſive etiam planè oppoſita. Unde puerile eſt, quòd *Vatzquetz* miratur, multas concluſiones legitimâ formâ inferri, in quibus prædicatum à ſubjectô realiter diſtinguatur, & tamen de illô prædicetur in concretô. nam tunc prædicatio vera eſt, non propter identitatem formalitatum, quæ in hoc caſu nulla eſt; ſed propter identitatem ſuppoſiti, quam concretum implicat, uti fuſisſimè explicavimus in *Diſput. de prædicatione.*

XI. Certum igitur eſt & negari nullâ ratione poteſt, quicquid etiam tergiverſetur *Vatzquetz*, quòd in principio hoc Metaphyſicô omnis vis ſyllogiſtica, in quacunque fuerit materiâ, fundetur, & ab eo veritas etiam dicti de omni & de nullo dependeat. Unde conſequens eſt, ut ad eos progrediamur, qui principium quidem illud pro univerſali fundamentô artis ſyllogiſticæ agnoſcunt; ad univerſalitatem ejus tamen demonſtrandam non eidem viæ inſiſtunt.

XII. Inter eos *primò* ſe nobis ſiſtit *Gilbertus Porretanus*, qui omnium facilimè ſemet expedit ab hac difficultate.

tate. ſtatuit enim relationes in divinis ab eſſentiâ diſtingui ante intellectum ex parte rei. unde ſi relationes non identificantur eſſentiæ, mirum non eſt, eas quoque non identificari inter ſe. Hunc ſequitur *Scotus l. 1. ſent. diſt. 2. q. 4.* ubi *ad ſalvandam*, ut loquitur, *compoſſibilitatem unius eſſentiæ & plurium ſuppoſitorum manifeſtè* docet, *rationem, quâ formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile, & rationem eſſentiæ, ut eſſentia eſt, habere aliquam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati & increati.* & *Nicolaus de Orbellis ibid. quæſt. 4.* Sequuntur *Nominales, Occam, Marſilius*, & cumprimis *Gabr. Biel. l. 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 1. art. 1.* qui *notabil. 4.* contendit *eſſentiam à perſonis formaliter diſtingui; diſtinctionem autem formalem nunquam darî ſine diſtinctione reali.* Quorum veſtigia tandem premit quoque *Durandus*, qui *l. 1. ſent. diſt. 2. q. 4. & diſt. 33. q. 1.* eſſentiam & relationes diſtingui vult realiter, non tamen tanquam rem & rem, ſed tanquam rem & modum rei.

XIII. Omnes iisdem ferè rationibus probant, & his quidem præcipuis. 1. quia fieri non poſſit, ut duo omnino idem ſint ſecundùm rem, & tamen habeant contradictoria prædicata, eſſentia communicetur ſecundùm rem, perſona tamen, quæ idem eſt cum ipſa, non communicetur ſecundùm rem, perſona incarnetur, eſſentia tamen, quæ idem cum eâ, non incarnetur: ſicuti ex ſcripturâ novimꝰ eſſentiā communicari ſecundum rem Filio & Spiritui S. perſonam tamen non communicari, perſonam imediatè incarnari, eſſentiā tamen non immediatè incarnari. 2. Ex hoc etiam negant fieri poſſe, ut eſſentia & perſona in divinis ſint omninò idem ſecundum rem, quia eſſentia divina formaliter & ex na-

turâ rei est in aliquo, in quo non est relatio. est enim essentia in Patre, in quo non est filiatio, & est in filio, in quo non est paternitas, est etiam in Spiritu sancto, in quo non est paternitas & filiatio.

XIV. Hæc tamen sententia jam dudum explosa est & in *Gilberto* damnata à *Concilio Rhemensi*. Unde contraria, quòd relationes & essentia in divinis non distinguantur, nisi cogitatione & per operationem intellectus, non solùm reliquis Scholasticis probatur, *Thomæ, Cajetano, Bonaventuræ, Gregorio, Capreolo, Argentinæ &c.* sed nititur quoque autoritate Patrum. Sic enim *Damascenus l. 1. de fide c. 11. unum idemq; omninò sunt Pater, Filius, & Spiritus S. nisi quòd Pater genitus non est, Filius genitus est, Spiritus processit. quod autem in essentiâ dictum est, solâ cogitatione distinguitur.* & *Bernhardus*, qui *Concilio Rhemensi* interfuit, *l. 5. de consid. ad Eugen. Mihi non deest, quòd cogitem melius ejusmodi Deô tuô. Quæris, quid? mera simplicitas: verô judiciô natura simplex multiplici antefertur.* Ubi sic argumentatur: Si essentia divina à relationibus suis distinguitur quoad rem, sequitur, quòd Deus non sit simplicissimus & maximè unus, sed realiter compositus ex naturâ & relationibus: Consequens est absurdum, si enim non est simplicissimè unus, non est Deus: ergo absurdum quoque est antecedens. Consequentia patet: quicquid enim iis constat, quæ à parte rei non sunt idem, illud necessariò ex iis est compositum.

XV. Nec vim hujus argumenti declinabunt, I. *Scotus*, si regerat, à se distinctionem inter essentiam & relationes nuspiam vocari realem, sed tantùm ex naturâ rei, quæ præcedat omnem actum intellectus. Nam licet ita sit, distinctio tamen ex naturâ rei, competens ei ante

omnem

omnem actum intellectus, nihil aliud est, quàm ipsissima distinctio realis. Ea enim, quæ sunt ante intellectum, sunt à parte rei, quæ sunt à parte rei, sunt realia: si ergo essentia & relationes ex naturâ rei ante actum intellectus distinguuntur, indubiè distinguuntur realiter. 2. *Durandus*, si neget, ex essentiâ & relationibus fieri compositionem, quantumvis ex natura rei distinguantur, ut res & modus rei, propterea, quod ea, quæ aliquid componunt, debeant esse res, & invicem differre, ut res & res, quarum quælibet habeat essentiam ad se, diversam ab eâ, cum quâ componat; modus autem, licet differat à re, cujus est modus, non tamen habeat essentiam ad se, sed naturâ suâ sit alterius. Nam dicit quidem hoc *Durandus*, at non probat. unde quâ facilitate is affirmat, eâdem nos negamus. Hoc certè *Durandus* non diffitebitur, quòd modus, quia realiter differt à re, cujus modus est, etiam naturâ & rationem formalē ab eâ realiter distinctam habeat. at si ex pluribus, quæ realiter distinctas formalitates habent, fiat unum, fieri nequit, nisi per compositionem realem, quæ unitati ac simplicitati divinæ prorsus adversatur.

XVI. Quod igitur argumenta concernit, quibus se autores illius sententiæ fulciunt, omnia eâdem illâ hypothesi nituntur, quòd prædicata contradictoria verificari non queant de eo, quod sit à parte rei idem, quæ est manifestè falsa. Nam in rebus etiam finitis, v.g. in homine animalitas & rationalitas sunt à parte rei idem, & tamen de una hac & eadem entitate prædicata enunciari possunt, quæ in se sunt contradictoria. nam una eademque illa entitas secundùm conceptum animalitatis est sensitiva, secundum conceptum rationalitatis non

eſt ſenſitiva , quemadmodum ex adverſo ſecundum conceptum rationalitatis eſt diſcurſiva, ſecundum conceptum animalitatis non item. Cadente igitur hypotheſi, neceſſariò cadit, quod ſuper eâ extructum eſt. Unde in utroque argumento negamus Majorem: de uno & eodem ſecundùm rem non poſſunt enunciari prædicata contradictoria : de eſſentia & relationibus enunciantur prædicata contradictoria : ergo eſſentia & relationes non ſunt unum & idem ſecundum rem. Minor patet, quia eſſentia eſt communicabilis, ſed relatio non eſt communicabilis, ſecundùm prius argumentum : & eſſentia eſt in aliquo, in quo non eſt relatio, ſecundùm poſterius. Nam in humanis etiam fieri videmus, ut contradictoria de eo verificentur, quod à parte rei planè idem eſt, uti exemplô jam patuit. Sufficit igitur ad hoc, ut contradictoria in divinis de eadem re ſimpliciſſimâ prædicentur, diſtinctio rationis, juxta quam de una ac eadem divinitate diverſos formemus conceptus, eorumque intuitu de eadem diverſa enunciemus , & nunc dicamus eam communicari, nunc non communicari, nunc gigni, nunc non gigni, nunc incarnari, nunc non incarnari.

XVII. Quam diſtinctionem rationis recentiores *Scholaſtici virtualem* vocant, & in eo præcisè poſitam dicunt, quòd juxta eam eidem indiviſibili entitati convenire queant duo prędicata ex ſe contradictoria, quamvis reſpectu ejus rei, in qua talis diſtinctio virtualis datur, actu & formaliter contradictoria vel repugnantia non ſint, quod repugnantiam, quam prædicata ea ex ſe habent, diſtinctio illa virtualis rei, ſupra quam cadunt, tollat, ſicuti videmus, currere & non currere, ex ſe prædicata

cata esse contradictoria: at si cadant in res distinctas, & dicatur, Petrus currit, Paulus non currit, respectu horum subjectorum desinunt esse contradictoria, quia non sunt idem; ita in præsenti casu, licet ex se, communicari & non communicari, produci & non produci, contradictoria sint & eidem rei repugnent; unicè tamen in entitate divinâ conspirant propter distinctionem virtualem, quæ ibi inter essentiam datur & inter relationes.

XVIII. Nec juvat adversarios, quod essentia divina communicabilis sit & relationes incommunicabiles etiam ante omnem operationem intellectus. nam licet hoc non negemus, sed ultrò fateamur, exinde tamen realis distinctio exsculpi nequit, quæ inter essentiam & relationes sit. in finitis enim rebus idem usu venit. Humanitas siquidem ante omnem actum intellectus habet vim efficiendi sensationem, quam brutum etiam habet, & efficiendi discursum, quam brutum non habet, nec tamen animalitas & rationalitas, quibus humanitas constat, distinguuntur à parte rei. Laterem igitur lavant, quotquot hac viâ pugnam, quæ inter nostrum principium & mysterium Trinitatis esse videtur, tolli posse putant.

XIX. *Secundò*, alii sunt, qui putant, principium nostrum Metaphysicum, ut in omni materia vim obtineat, de identitate intelligendum esse, quam extrema cum aliquo tertio habeant re & ratione. unde quum relationes non sint eædem cum essentia divina re & ratione, mirum etiam nemini debere videri, quòd non sint idem inter se. Dicunt autem relationes cum essentia idem esse quoad rem tantùm, non etiam idem no-

strô

ſtrô concipiendi modô. Hujus ſententiæ primarius autor eſt *Thomas p. 1. ſumm. quæſt. 28. art. 3.* ſecundum *Philoſophum in 3. Phyſic. dicendum quod, quæcunque uni & eidem ſunt eadem, ſibi invicem ſunt eadem, tenet in his, quæ ſunt idem re & ratione; ſicut tunica & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione. unde ibidem dicit, quod licet actio ſit idem motui, ſimiliter & paſſio, non tamen ſequitur, quod actio & paſſio ſint idem: quia in actione importatur reſpectus, ut à quo eſt motus in mobili, in paſſione verò, ut qui ect ab alio. & ſimiliter licet paternitas ſecundùm rem ſit idem cum eſſentia divina & ſimiliter filiatio; tamen hæc duo in ſuis propriis rationibus important oppoſitos reſpectus. unde diſtinguuntur ab invicem.*

XX. Sed hac in re non ſatis ſibi conſtat *Thomas*, & ideò non unâ de causâ poteſt reprehendi. Nam 1. nimis coarctat hoc tam nobile principium, dum ei nullibi locum concedit, niſi in ſynonymis, quæ re & ratione idem ſint uni tertio. unâ enim & eâdem operâ duo efficit, quæ pariter abſurda ſunt: nempe ut nulla ſyllogiſmi forma valeat, niſi inter eos terminos, qui ſint re & ratione idem; deinde ut hoc, alioqui utiliſſimum & ſummè neceſſarium principium, prorſus fiat inutile. quis enim tam vecors eſt, ut ſibi argumento poſtulet probari, quòd gladius & enſis ſint inter ſe idem.

XXI. 2. Injuriam facit *Ariſtoteli*, quum ipſi tam abſurdam adſcribit ſententiam. Verba *Philoſophi lib. 3. phyſ. c. 3. text. 21.* ſic habent: *non neceſſe eſt, eum, qui doceat, diſcere, etiamſi facere & pati ſint idem, non ita tamen, ut ratio eſſentiæ una ſit, qualis eſt veſtimenti & tunicæ, ſed ut via, quæ Thebis Athenas ducit, & Athenis Thebas*: quibus docet, ceu cuivis manifeſtum eſt, quod, licet actio &

paſſio

passio idem sint, inde tamen colligi non possit, quod, qui docet, discat, & qui agit, patiatur, idque propterea, quod actio & passio non sint omnino idem, sed ratione distinguantur inter se, eô modô, quô via, quâ *Athenis* itur *Thebas* & quâ *Thebis Athenas*, quæ reipsâ eadem est, ratione verò diversa. & hæc est verissima doctrina, & remotissima à *Thomæ* sensu.

XXII. 3. Falsum dicit, quum negat, principium nostrum valere in his, quæ differunt ratione. Nam distinctio rationis non potest impedire identitatem realem extremorum inter se, si habeant identitatem realem cum uno tertio: sed hoc saltem potest, ut, si extrema ratione non sint idem cum medio, etiam ratione non sint idem inter se. & ratio est, quia distinctio rationis est nihil aliud, quàm denominatio extrinseca objecti desumta ab actu confusô intellectus; actus autem intellectus, sive clarus fuerit, sive obscurus, non mutat prædicata realia objecti. Utrumque igitur verum est: ex identitate reali & virtuali extremorum cum medio sequitur identitas realis extremorum inter se: & ex identitate reali ac rationis extremorum cum medio sequitur etiam identitas realis & rationis extremorum inter se, idq; in divinis æquè atq; in aliis rebus omnibus. Patet eô ipsô exemplô, quô *Thomas* utitur: actio & passio realiter vel materialiter sunt idem uni tertio, nempe motui, ergo actio & passio realiter vel materialiter sunt idem inter se: & actio & passio ratione vel formaliter non sunt idem uni tertio, nempe motui, ergo actio & passio ratione vel formaliter non sunt idem inter se.

XXIII. Ut ita *Thomas* planè extra se raptus videatur, quando ad universalitatem principii Metaphysici

non ſolùm identitatem rei, ſed etiam identitatem rationis requiri, ex eo probat, quòd alioqui ſequatur, actionem & paſſionem, quia ſunt realiter idem motui, etiam realiter idem eſſe inter ſe, quæ tamen realiter idem non ſint. Quærimus enim, an entitas illa, quæ dicitur motus, ſimul ſit actio & paſſio, an non? ſi eſt actio & paſſio ſimul, ergo non ſunt ibi duæ entitates, quia motus eſt una entitas, & actio ac paſſio ſunt realiter ille motus, ergo actio & paſſio, quia ſunt realiter una entitas, non diſtinguuntur realiter. Si verò entitas illa, quæ dicitur motus, non eſt actio & paſſio ſimul, jam malè dicit, actionem & paſſionem eidem identificari.

XXIV. 4. Denique *Thomas* ſibimet ipſi contradicit. Nam *l. 2. contra Gentes c. 9.* ex eo probat, potentiam Dei, ejusque operationem eſſe idem ſecundùm rem, quòd ſint idem cum eſſentiâ: atqui potentia & operatio Dei differunt ratione non ſolùm ab eſſentiâ, ſed etiam inter ſe. Vel igitur falſa eſt illius opinio, quòd ad veritatem illius principii requiratur identitas rei & identitas rationis, vel malè argumentatur: quæ ſunt eadem uni tertio re & ratione, ſunt idem inter ſe: potentia & operatio Dei ſunt eadem eſſentiæ divinæ re & ratione: ergo ſunt idem inter ſe. Nam Minor eſt falſa, & potentia & operatio Dei, licet idem ſit inter ſe & cum eſſentia quoad rem; ratione tamen differunt, quemadmodum ex diverſitate conceptuum patet, quos de iis formamus. Ergo neque hac viâ rectè oſtenditur univerſalitas hujus principii Metaphyſici.

XXV. *Tertiò* ſunt, qui principium hoc ita limitant: quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, quantum ad eam rationem, quâ cum illo tertio ſunt idem,

idem,& non aliam. Unde concedunt,personas in divinitate habere inter se identitatem essentiæ, quia in ea uniuntur & cum ea sunt idem: sed non habere identitatem subsistentiæ vel personalem,& ita idem esse non omninò & simpliciter,sed essentialiter tantùm. Sic sentit *Cajetanus p. 1. Summ. quæst. 28. part. 3. propositio, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, est vera quoad id, secundùm quod identificantur medio, seu quoad rationem identificationis in medio: secundùm id enim eadem medio, sunt etiam eadem inter se. non autem opus, eadem identificari inter se secundum id, in quo non identificantur medio, id est, quod non est ratio identificationis ipsi medio.* Unde *Thomas de Argentinâ l. 1. sent. dist. 2. ad 1. princip. arg. 3. quæ sunt eadem eidem, inter se sunt eadem: sed omnes personæ divinæ sunt eadem essentiæ divinæ: ergo omnes erunt idem inter se;* sic respondit: *Major est vera secundùm istum sensum, puta, quod secundùm istam convenientiam absolutæ entitatis, quâ conveniunt in tertio, secundùm illam eandem convenientiam conveniant inter se. igitur non plus concluditur, nisi quod paternitas & filiatio, sive pater & filius entitate absolutâ, quâ conveniunt in divina essentia, sint idem, sive conveniant inter se. ex hac tamen non sequitur, quod conveniant inter se, quoad formales suas rationes, sive quoad suum adesse, penes quod habent realem oppositionem.*

XXVI. Sed hæc sententia est prorsus nugatoria & ejus Autores lambunt vitrum, pultem non attingunt. Dupliciter enim potest intelligi: vel ut ea, quæ sunt eadem uni tertio, habeant unum tertium, quod sit idem cum ipsis. Hoc sensu intellecta, jure meritô exploditur. Nam idem exprimit per idem & sensum maximè ridiculum facit. Si enim dicas, quæ eadem sunt uni tertio,

ſunt idem interſe; juxta hanc ſententiam perinde eſt, ac ſi dicas, quæ eadem ſunt uni tertio, illa habent unum tertium, cui ſunt eadem, quam quilibet videt eſſe identicam. vel ut extrema ſint idem uni tertio in eâ ratione, quæ utrique identificatur. Verùm etiam hoc ſenſu ridicula eſt & à præcedenti vix terminis differt. Solùm enim hoc dicit, quòd extrema ſint idem cum eo tertio, cum quo idem ſunt. quod nemo ignorat, & nihil aliud eſt, quàm dicere idem per idem, hoc eſt, nugari. Suppoſitô enim, quod duo extrema ſint eadem uni medio, quis dubitare poteſt, quòd medio illi ſint identificata?

XXVII. Principium igitur illud longè plus in receſſu habet, quàm hac nugatoriâ expoſitione exprimitur. Colligit enim, quòd, quæ eadem ſunt uni tertio, quia eadem illi ſunt, & quô modô eadem ſunt, ideò etiam & eo modo eadem ſint inter ſe. Nempe ſi realiter eadem ſunt uni tertio, etiam inter ſe realiter idem ſint, ſi formaliter, formaliter. Et quia principium iſtud eſt fundamentum formæ ſyllogiſticæ, non ſolùm infert, extrema, quæ ſunt eadem uni medio, eadem eſſe prout in eo uniuntur, ſed etiam eſſe eadem inter ſe. Nam ſicuti duo extrema, in præmiſſis comparata cum medio, idem ſunt cum illo: ita eadem extrema in concluſione inter ſe comparata, inferuntur, ut idem inter ſe, quod, ut ita fiat, natura ſyllogiſmi requirit. niſi enim ex identitate extremorum cum medio in præmiſſis inferatur identitas extremorum inter ſe in concluſione; quilibet certè videt, quod non inferatur in concluſione aliud quid, quod à præmiſſis quocunq; modô ſit diſtinctum, quemadmodum ratio ſyllogiſtica poſtulat. Ergo neque hic explicandi modus ſatis eſt idoneus ad demonſtrandam principii hujus univerſalitatem.

XXVIII.

XXVIII. *Quartò* dantur Autores, qui principium hoc ad identitatem adæquatam restringunt, & tum demum verum esse ajunt, quando ea, quæ sunt eadem uni tertio, adæquatè ipsi sunt identificata. hinc, quum essentia divina non sit adæquatè identificata paternitati, sed insuper quoq; filiationi identificata sit, non mirũ esse putant, ex identitate paternitatis & filiationis cũ essentiâ divinâ non sequi identitatem paternitatis & filiationis inter se. Ita statuit *Capreolus l. 1. sent. dist. 2. quæst. 3. art. 1. quandocunq;*, inquiens, *aliqua extrema sic identificantur medio, aut alicui tertio, ut nullum extremorum identificet sibi illud adæquatè, imò medium pluribus identificetur, quàm aliquod extremum, sic ut non solùm medium sit idem ipsi extremo, sed ab extremo etiam quolibet seorsim sumto aliud vel aliud includat; tunc non est opus, ut extrema identificata in tali mediò identificentur inter se. Exemplum hujus est de homine in universali realiter, quem aliqui ponunt. ille homo est idem Socrati, & similiter est idẽ Platoni, nec tamen Socrates ideò est idem Platoni, imò sunt realiter distincti. quia, licet Socrates sit idem homini universali; non tamen adæquatè & convertibiliter. Ita in proposito quælibet persona est eadẽ essentiæ divinæ, non tamẽ adæquatè & convertibiliter, & ideò licet duæ personæ sint eædem divinæ essentiæ, non tamen inter se, sic ut hæc sit illa.*

XXIX. Plausibilis videtur hæc sententia & speciem habet veritatis: Sed si penitius introspiciatur & expendatur rectâ lance, vix erit, ut eam quisquam admittat. Duobus autem modis explicari potest: & utroque sensu nos eam rejicimus. Vel enim per identitatem adæquatam cujuslibet extremi cum medio hoc intelligunt, quod medium idem numerô debeat esse totum in quolibet extremô, & non una pars ejus in unô extremô,

altera pars in altero. Sicut anima adæquatè eſt in capite & adæquatè in corde, licet non ſit in quolibet ſolo. ſecundum hunc ſenſum adæquatè nihil eſt aliud, quàm *totaliter* & *perfectè*. vel per identitatem adæquatam cujusvis extremi cum medio iſtud volunt, quod, ſi unum extremum cum medio identificetur, cum eodem non debeat identificari aliud extremum, ab iſto realiter diſtinctum. ut ea demum identificari dicantur inter ſe, quæ identificantur cum uno tertio, cum quo non identificantur duo diſtincta. Sicut ſi *Scotus* intellectum & voluntatem realiter idem eſſe dicat, quod identificentur cum anima, cum qua diſtincta identificari non poſſint. Juxta hunc ſenſum vox *adæquatè* propemodum reſpondet particulæ *ſolùm*.

XXX. Nec exiguum eſt diſcrimen inter hos duos ſenſus, uti vel hoc exemplô patere poteſt. Si enim duæ cauſæ totales ad unum & eundem effectum concurrerent, quod divinitus fieri poſſe non pauci Philoſophorum ſtatuunt; utraque eſſet cauſa adæquata illius effectus, juxta priorem ſenſum, quia utraque totaliter & perfectè eum produceret: Sed neutra eſſet cauſa adæquata illius effectus, juxta poſteriorem ſenſum, quia neutra produceret ſola. aut ſi diſpliceat exemplum, quod dubitari poſſit, an caſus ſit poſſibilis, quantumvis iſtud parum referat; ſumimus aliud de *Chriſto*, qui adæquatè eſt in hoc ſacramẽto, priori ſenſu, quia totaliter & perfectè ibi eſt: at non eſt adæquatè in illo, poſteriori ſenſu, quia non ſolùm in hoc ſacramẽto, ſed etiã in alio eſt.

XXXI. Si nunc autores hujus ſententiæ principium illud Metaphyſicum accipiunt in ſenſu priori, nihil fortè ſit, quod culpemus; at eô modô non oſtendunt,

dunt, quomodo istud vim etiam habeat in divinis. Sic enim argumentamur: quæ sunt eadem uni tertio adæquatè, hoc est, perfectè & totaliter, eadem quoque sunt inter se: sed relationes in divinis eædem sunt uni tertio, nempe essentiæ, & adæquatè quidem, h. e. totaliter & perfectè. Nam essentia divina, juxta priorem sensum adæquatè est in singulis personis. totum enim id, quod essentia dicit, est idem numerô in Patre, & idem numerô in Filiô. nec essentia est totum quoddam ex partibus compositum, quarum una in Patre sit, altera in Filio. Ergo rectè concludimus, quia essentia est adæquatè idem cum qualibet personarum, personas etiam inter se esse idem.

XXXII. Si verò principium istud accipiunt in sensu posteriori, juxta eum quidem concedimus, nullam ex personis divinis adæquatè identificari essentiæ & propterea ex hoc principio inferri non posse identitatem earum inter se; verùm aliud est, quur in hoc sensu admitti non possit. & *primò* quidem ex eo, quia dicit idem per idem, & tunc vult, duo extrema uni tertio identificata inter se etiam identificari realiter, quando inter se non sint distincta realiter, quæ est aperta nugatio. *Deinde* quia vim syllogisticam propemodum evertit totam. Si enim hæc explicatio esset vera, principium istud vix alibi locum haberet, quàm in definitione & definito, ac aliis, quæ synonyma sunt. Certè si quis colligeret: actio & passio sunt realiter idem cum motu, ergo actio & passio sunt realiter idem inter se; consequentia esset nulla. licet enim motus identificetur cum actione; non tamen identificatur adæquatè, vel cum sola ea, sed identificatur etiam cum passione. Sed consequentia hæc firmissima

ſima eſt, & cum *Philoſopho* eam hodie probant omnes. Oportet igitur, ut hujus ſententiæ Autores principium hoc non in iis ſolùm admittant, quæ ſunt adæquatè idem uni tertio, ſed in aliis etiam, ſi iſtud pro fundamento ſyllogiſmorum velint agnoſci, ceu *Capreolus* facit.

XXXIII. Quod tandem exemplum *Capreoli* attinet, non datur univerſalis homo realiter, & quod *Sortes* & *Plato* non ſunt idem, nequaquam inde fit, quod neuter adæquatè ſit homo univerſalis: ſed quia *Sortes* eſt hic homo realiter & *Plato* hic homo realiter, ac homo, qui eſt *Sortes*, eſt realiter alius ab homine, qui eſt *Plato*. unde quia non ſunt idem realiter uni tertio reali, mirum etiam non eſt, quod non ſint idem realiter inter ſe.

XXXIV. *Quintò* non infimæ notæ autores ſunt, qui principium hoc, maximè in divinis ad talem identitatem reſtringunt, quâ extremitates eædem ſint uni tertio ſingulari. Unde hujus requiſiti defectu peccare putant hunc ſyllogiſmum: *eſſentia divina eſt Pater, eſſentia divina eſt Filius: ergo Filius eſt Pater;* quod eſſentia divina non ſit terminus ſingularis, ſed communis, de ratione autem ſyllogiſmi expoſitorii ſit, ut locô medii non communem terminum habeat, ſed ſingularem. Sic *Marſilius l. 1. ſent. diſt. 2. quæſt. 6. art. 3.* quem ſequuntur *Gregor. de Valentia*, *Fr. Vatzquetz* & alii, qui non ſolùm in eo ſunt reprehendendi, quod pro termino communi habent, qui eſt ſingulariſſimus: ſed etiam, quod ſingularitatem, quàm heîc requirunt, ita deſcribunt, ut manifeſtam committant petitionem principii. Dicunt enim, ut forma argumenti principio huic innixa ſit bona, poni debere medium terminum ſingularem, quis autem termi-

terminus eſt ſingularis? qui non eſt realiter idem cum rebus diſtinctis inter ſe. Quô perinde faciunt, ac ſi dicant: quando ea, quæ idem ſunt uni tertio, non ſunt plura, tunc idem ſunt inter ſe. Nam idem eſt, tertium illud *non eſſe idem* pluribus extremitatibus, & extremitates illius tertii non eſſe plura. Nugatorium igitur hoc eſt, & idem explicat per idem.

XXXV. Deinde eſſentia divina, cui perſonæ divinitatis identificantur, non eſt terminus *communis*, ſed *ſingularis*. Licet enim perſonæ, quæ identificantur, ſint plures; ipſa tamen eſſentia, cui identificantur non minùs ſingularis eſt, atque unaquævis relationum ſeorſim ſumta. neque enim eſt aliud medium re vel ratione, cui identificatur paternitas, ab eo, cui filiatio, quantumvis res identificatæ inter ſe aliæ ſint. medium igitur in hoc ſyllogiſmo non eſt *multiplex*, ut propterea forma ejus poſſit culpari, ſed *ſingulare*. nec obſtat, quod *Vatzquetz p. 1. Diſp. 22. c. 3. n. 12.* excipit: *Terminus, eſſentia divina vel Deus, communis eſt non abſtractione & per intellectum: ſed communitate ſecundùm rem. quia eadem numerô eſſentia & idem Deus tribus perſonis communis eſt. quare licet quælibet ipſarum de eſſentia prædicetur, non ſequitur, unam de alia invicem prædicari, quia medium non eſt omninô ſingulare.* Nam in hoc ſenſu, de quo loquitur *Vatzquetz*, *ſingulare* non opponitur *communi*: ſed poteſt aliquid eſſe ſingulare ſimul & etiam commune, h. e. in pluribus exiſtens, quis enim non novit, quod idem numerô accidens poſſit eſſe in multis ſubjectis, idem numerô corpus in pluribus locis, eadem numerô anima in multis partibus corporis. Licet igitur eſſentia divina ſit communis pluribus in divinitate perſonis, ex eo tamen non ſequitur, quod non ſit ſingularis.

XXXVI. Hoc quum animadvertat *Philip. Du Trieu*, ad vocem, *singulare*, addit, *incommunicabile; Tract. 3. part. 2. c. 2. articul. 4.* sic scribens: *nomine tertii intelligitur aliquod singulare & incommunicabile. quod posterius additur propter mysterium Trinitatis, in quo tres personæ sunt eædem uni tertio singulari, sc. Deitati, nec tamen sunt eædem inter se, quia Deitas non est quid incommunicabile.* Sed ne sic quidem rei satis fit. Dupliciter enim aliquid dici potest incommunicabile 1. *Logicè*: sic incommunicabile est nihil aliud, quàm singulare, quod communicari nequit pluribus, uti inferioribus, ita ut in illa ratione sint multa: vel *physicè:* sic incommunicabile dici illud potest, quod communicari nequit pluribus, ita ut plura ea inter se quidem sint distincta, in illo autem sint unum. Si *Du Trieu* incommunicabile sumit *Logicè*, nihil attinuit singulari propter *mysterium Trinitatis* superaddi *incommunicabile*, nam singulare & incommunicabile hoc sensu sunt formalissimè idem: si *physicè*, labitur in petitionem principii, quam in *Valentiâ*, *Vatzquesio*, & aliis rejecimus. Hoc igitur modô argumentum non solvitur.

XXXVII. Unde supersest *sexta sententia*, recentiorum, qui principium hoc, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, cum hac limitatione putant esse intelligendum, si sc. tertium illud non sit capax distinctionis virtualis. cumque in divinis distinctio virtualis inter essentiam & relationes detur; inde etiam fieri dicunt, ut forma syllogistica isti principio innitens Mysterio Trinitatis non adversetur. Virtualem autem vocant, quia non sit realis, sed reali æquivalens, quatenus una indivisibilis res per eam capax sit duorum prædicatorum contradictoriorum, ac in ordine ad ea se sic habeat, ut

possit

possit ea recipere simul, perinde ac si sit multiplex realiter. Hoc tamen nolunt sic accipi, ac si contradictoria sint actu & formaliter etiam respectu illius entitatis, cui actu conveniunt, quod fieri non posse cuivis patet: Si enim actu eidem entitati conveniunt, actu sibi invicem non contradicunt: sed contradictoria vocant, quod in se & ex terminis contradictoria sint, ac respectu illius rei, quæ distinctionem virtualem non habeat, per quam contradictio tollatur. Sic statuit *Rod. de Arriagâ Disp. Log. 5. sect. 4. subs. 1. num. 56. Puto*, inquiens, *dari in divinis in una simplicissima entitate distinctionem quandam virtualem, quæ æquivalet distinctioni reali in ordine ad duo prædicata contradictoria. Ex hac distinctione provenit, essentiam communicari, non communicatâ relatione, produci relationem, non produci essentiam.* & *Hurtadus de Mendoza Disput. Metaph. 5. sect. 10. subs. 1. num. 98. est in Deo virtualis distinctio inter naturam & relationes, quâ distinctione conveniunt naturæ formaliter prædicata contradictoriè opposita iis, quæ conveniunt relationi, ut esse communem, & improductam, cum relatio sit producta & non communis.* Vid. *Disp. Met. 6. s. 3. n. 26. & Disp. Log. 11. sect. 16. n. 102.*

XXXVIII. Juxta hanc sententiam facilis est responsio ad hoc argumentum: *essentia divina est Pater, essentia divina est Filius: ergo Filius est Pater.* Si enim ratio consequentiæ petatur ex hoc principio, regerimus, quod ea demum sint idem inter se, quæ sunt idem uni tertio non solùm realiter, sed etiam virtualiter. inde, licet relationes sint realiter idem cum essentia, quoniam tamen ab eadem distinctione virtuali distinguuntur, sicuti ex prædicatis contradictoriis elucescit, mirum etiam non debet videri, quod non sint idem inter se.

Co-

COROLLARIUM

OMne illud, sine quo vera causa producere effectum suum nequit, esse causam per se respectu ejus effectus, qui sine eo fieri non potest, licet in ordine ad eum causa sine qua non dicatur, falsum est, nec ullus unquam vel ex Scholasticis *vel ex aliis* Philosophis *affirmavit. Hos enim limites inter causam veram ac per se, & inter conditionem vel causam sine-qua-non consensus Orbis literarii posuit, ut vera causa & per se ea dicatur, quæ effectum verè causat mediante causalitate vel physicâ vel morali: Conditio autem sive causa sine-qua-non, quæ effectum non causat nec physicè nec moraliter, sic tamen se habet, ut vera causa suum effectum sine ea causare non possit. ubi duo ad conceptum conditionis vel causæ sine quâ-non requirit. 1. ut nullam causalitatem exerat respectu effectus, in ordine ad quem conditio vel causa sine-qua-non dicitur. 2. ut, licet ad causam per se necessaria sit; utpote sine qua effectum causa per se producere non possit; ad ipsam tamen causalitatem vel productionem effectus se habeat velut per accidens. Hos limites posuit unanimis* Doctorum *consensus, quos movere nemini hominum licet, perinde atque non licet Rustico, ut sepem moveat sine vicini sui consensu. nec quisquam eruditorum permittit, ut pro vera causa & per se habeatur, quæ est tantùm conditio sine-quâ-non, vel pro conditione sine-quâ-non tantùm, quæ est causa vera & per se: quemadmodum vicini non credunt, fundum esse Pauli, qui est Johannis, vel Johannis, qui est Pauli, quantumvis id Prætor pagi dicat. Fieri igitur non potest, ut idem respectu ejusdem effectus simul sit causa per se, & conditio sine-qua-non. Nam sic oporteat, ut respectu ejusdem effectus exerat causalitatem & non exerat: Exerat, quatenus causa per se, non exerat, quatenus causa sine-quâ-non. At causare & non causare sunt contradictoria, quæ de eodem respectu ejusdem per nullam potentiam possunt verificari. Si itaq; aliquid respectu alicujus est causa vera & per se, jam non est conditio sine-quâ-non: Si autem est conditio sine-quâ-non respectu ejus, jam non est causa vera & per se.*

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0037-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0038-0

ULB Halle 3
005 132 657

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0039-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0040-1

1654, 8
23

UTATIO PHILOSOPHICA
De
INCIPIO
LLOGIZANDI
IN DIVINIS,

Quam
SUB PRÆSIDIO
ILI SLEVOGTI
Lingg. Professoris publici
Ordinarii

blicè examinandam & ventilan-
dam proponit
ANNES STERN/ Sal-
feldensis.
In Auditorio Majori
ad diem Januarii.

JENÆ
Typis JOHANNIS NISIL.
M DC LIV.

n.6.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-382187-p0041-6